

Eilhard Lubin    Jodocus Barrendorf

## **De Quaestione, Utrum Mundus Ab Aeterno Esse Potuerit, Disputatio**

Rostochii: Reusnerus, 1601

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729067599>**

Druck    Freier  Zugang



E. Lubinus  
R. U. phil. 1601.







De Quæstione,  
VTRVM MVN-  
DVS AB AETER-  
NO ESSE POTVERIT,

Disputatio,

*Quam*

IN CELEBRI ROSARVM ACADEMIA

*Sub præsidio*

*Humanissimi ac doctissimi viri*

DN. M. EILHARDI LVBINI  
Poëseos Professoris publici,

*Publicè*

*aspirante divini Numinis gratia  
defendere conabitur,*

JODOCVS BARRENDORFIVS  
Bilveldiensis VVestphalus.

*In Auditorio magno, 7. die Februarij,  
horis matutinis consuetis.*



ROSTOCHII

PRÆLO REVSNERIANO.

---

ANNO MDCI.





AMPLISSIMIS, PRVDEN-  
TISSIMIS, ERVDITIONIS SPLEN-  
dore, Virtutumque nitore, præstantissimis viris,  
DN. CONSVLIBVS & SENATORIBVS inclitæ  
Reipub. BILVELDIENSIS, Dominis & Mecæ-  
natibus suis omni pietatis & reverentiæ  
studio officiosè colendis.

*VM ea, qua sumus ad ævris obligati, non scripta,  
sed nata sit lex, quam non didicimus, accepimus, legi-  
mus; Verum ex natura ipsa arripimus, hausimus,  
expressimus, fieri non potest, quin omnium habeat ingratis-  
simus, ni singularem vestram erga me benevolentiam summaq;  
vestra in me collata beneficia, grato animo agnoscam. Licet  
verò hæctenus mihi vires, ejusmodi beneficia recompensandi,  
defuerint; voluntas tamen nunquam defuit, In cujus rei testi-  
monium positiones hæc, æternitatem mundi unà cum sacris li-  
teris prorsus evertentes vestra Amplitudini, nulla spe lucri, sed  
grati animi significatione ductus, afferre ac dedicare volui,  
quas ut lato animo suscipiatis, etiam atq; etiam rogo. Ro-  
stochij, 1. Febr. Anno 1601.*

V. Amplitudini

Subjectissimus

Jodocus Barrendorfius.







VTRVM MVNDVS  
AB ÆTERNO CREARI  
POTVERIT.

I.

**N**OBILIS INTER RECENTIORES DO-  
ctores Peripateticos vertitur quæstio,  
Vtrum Mundus ab æterno creari po-  
tuerit.

II.

Quæ, cum hætenus propositis de Causâ mali,  
de Divisione continui, de Mundi ortu disputationi-  
bus arctissimè prorsus adhæreat, paucis illam The-  
sibus excutiam, demonstraturus, non potuisse.

III.

Principiò Christianis Philosophis, à quibus po-  
tissimum mota est, meritò ridicula & ociosa vide-  
retur, quæ cum primâ fronte speciosa, monstrosa  
absurda in recessu habeat, pluribus eam proponam  
& exponam.

IV.

Cum enim voluntas DEI sit natura, conditio,  
essentia, perfectio, fatum & necessitas mundi & o-  
mnium rerum, per eamque mundus, ut est, produ-  
ctus sit, illaque sit optima, & ob id immutabilis;  
Frustra profectò quæritur, An potuerit voluntas



DE I alia fuisse, hoc est, An mundus aliter potuerit  
creari & esse, atque creatus est, & esse debet.

V.

Quæritur enim, An Mundus, qui aliter esse, at-  
que creatus, non debuit, & ob id non etiam potuit;  
& qui est suâ naturâ finitus, mobilis & mutabilis, in  
loco, tempore, & motu: Potuerit creari sine loco,  
sine motu, & tempore, infinitus, immobilis, immuta-  
bilis, æternus, & interim mundus qualis est & debet,  
esse & manere.

VI.

Hoc est, Vtrum Mundus creatura suam essen-  
tiam à creatore tanquam priore & superiore exspe-  
ctare, & interim creatori potuerit esse coæterna:  
Vel denique, quod idem est, utrum ab æterno ali-  
quod opus, aliquod Ens, aliqua creatura à Deo, Deo  
coæterna, ad extra potuerit prodire.

VII.

Iam hanc quæstionem pluribus verbis exposi-  
tam suam absurditatem ultrò prodere, seque ipsam,  
redarguere, dum contraria, hoc est impossibilia po-  
stulat, cuius videre promptum est. Quærit enim,  
Ecquid quod mobile & in tempore esse debet, po-  
tuerit esse immobile & sine tempore.

VIII.

Quod autem nulla creatoris proprietates, qualis  
est æternitas, hoc est infinitas, & omnipotentia,  
creaturæ communicari possit, nemo, opinor, sanus  
dubitaverit.

IX.

Cum enim IN SE solus sit summum ens, creatura,  
opus,



opus, ad EXTRA, non potest esse, aut fieri summum  
Ens, & ob id in duratione creatori suo adæquari  
nequit; Cum plura uno Infinita esse non possint.

X

Hinc jam concidit illud Thomæ obijcientis:  
Quod ut Filius DEI est à patre, & tamen ei coæter-  
nus; ita mundus etjam possit à Deo, Deo coæternus.  
Ibi enim est generatio Filij, ad intra, in æterno, cum  
hic dicamus de creatione creaturæ ad extra in tem-  
pore. Et ob id Filius in & cum patre unum est &  
manet, quod de mundo cogitare monstrosum esset.

XI.

Concidit etjam alterum illud; Quod radij Solis  
ipsi Soli sint coævi, & sic mundus tanquã radius DEI,  
DEO coæternus esse potuerit. Hæc enim Similitudo  
ad Filij Dei ineffabilem generationem à patre ab æ-  
terno, non ad Mundi creationem ex nihilo in tem-  
pore adhiberi solet, & debet.

XII.

Radij enim & calor Solis vel ignis, sunt de inti-  
mâ proprietate & quasi substantiâ Solis & Ignis, si-  
ne quibus utrumque esse non potest, ut etjam Chri-  
stiani scimus & credimus Filium esse ab æterno cum  
& in patre. Non autem Mundus est de substantiâ  
& proprietate DEI.

XIII.

Quemadmodum etjam tertium illud: Apud De-  
um omnia æterna esse. Hoc enim creaturæ æterni-  
tatem non potuit addere. Quamvis enim opus  
creationis respectu DEI in præsentî æternitatis  
puncto absolutum esse sciamus. Respectu tamen



creatorum in tempore factum esse & fieri debuisse, itidem scimus. Quemadmodum etiam in Intellectu humano res præsens sibi potest, quæ respectu sui vel nondum est, vel amplius non est.

XIV.

Ex parte Mundi etiam æternitas est impossibilis, eo quod omnes ejus partes, & corporalia quidem esse debeant in motu loco & tempore, quod æternitati contrarium; spiritalia verò etiam possint non esse. Cum in æternitate, teste Philosopho, omnia sint necessaria.

XV.

Nec minus ex parte creationis est impossibilis, cum illa & ratione rei creatæ necessariò facta sit in tempore, & sit productio ejus quod nondum est, in illud quod est.

XVI.

Neque est quod objiciant, quod ut animæ sint, creaturæ immortales ex parte post, Sic potuerit mundus æternus esse ex parte ante.

XVII.

Primò enim animæ immortales sunt, non autem æternæ. Æternitas enim Deo propria, inque Deo radicata, in creaturam prorsus transfundi nequit; Eo quod æternitas, infinitas, omnipotentia, omnipræsentia sint unum & idem, in Deo, non sine Deo.

XVIII.

Deinde immortalitas in animis etiam in Deo radicatur, cujus participatione animæ & intelligentiæ sunt immortales. Et ob id immortalitas in creatis finitum bonum est, quatenus Deum potuerunt deserere,



rere, suamque bonitatem deperdere, Quod angelorum & hominum lapsus indicat. Non est ergo immortalitas æternitas, cum in hac quidquid est absolutum sit & necessarium, illa verò suum esse à creatore exspectet, & ad illum cum respectu referatur.

XIX.

Denique immortalitas, tantum creaturis spiritualibus & liberis communicari potest, nimirum, quæ sine loco tempore & motu esse quodam modo possunt. Non autem rebus servilibus & corporalibus, quæ in tempore, motu, & loco esse debent. Et ob id ne immortalia quidem, nedum æterna esse potuisse cogitari possunt.

XX.

Non jam memorabo absurda illa, quæ ex Mundi æternitate positâ resultant. Cum enim sic tempus, animæ, & omnium adeo specierum individua, numero actu infinita essent, & infinito nihil addi possit; neque temporis durationi aliquid addi, neque à Deo aliquid novi creari posset.

XXI.

Infinitem etiam unum altero majus esset. Infinitum enim tempus post mille annos majus esset hodierno. Cum etiam plures sint horæ quam sæcula, numerus horarum infinitus major esset numero infinito sæculorum.

XXII.

Hæc jam Dei majestatem & omnipotentiam impugnare cuius liquet. Nimirum qui est ipsa æternitas, & gloriam suam æternitatis suæ alteri non dabit. Cui æternum laus & gloria.

F I N I S.



... in ...  
... in ...  
... in ...

... in ...  
... in ...  
... in ...

... in ...  
... in ...  
... in ...

... in ...  
... in ...  
... in ...

... in ...  
... in ...  
... in ...











rere, suamque bonitatem deperdere, C  
rum & hominum lapsus indicat. No  
mortalitas æternitas, cum in hâc quide  
lutum sit & necessarium, illa verò suu  
tore exspectet, & ad illum cum respectu

### XIX.

Denique immortalitas, tantum cr  
tualibus & liberis communicari pote  
quæ sine loco tempore & motu esse qu  
possunt. Non autem rebus servilibus  
libus, quæ in tempore, motu, & loco  
Et ob id ne immortalia quidem, nedu  
potuisse cogitari possunt.

### XX.

Non jam memorabo absurda illa,  
di æternitate positâ resultant. Cum  
pus, animæ, & omnium adeo specieru  
numero actu infinita essent, & infini  
possit; neque temporis durationi alic  
que à Deo aliquid novi creari posset.

### XXI.

Infinitum etjam unum altero maj  
tum enim tempus post mille annos m  
dierno. Cum etjam plures sint horæ  
numerus horarum infinitus major est  
finito sæculorum.

### XXII.

Hæc jam Dei majestatem & omnip  
pugnare cuivis liquet. Nimirum qui e  
tas, & gloriam suam æternitatis suæ  
bit. Cui æternum laus & gloria.

*F I N I S.*

